



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

463. An succedat Episcopo quo ad facultatem interveniendi alicui actui de consuetudine, vel etiam præbendi consitii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

mandata, seu concessa Episcopo jurisdictione, eam eo mortuo (etiam literis jam presentatis, ut expressè Barbof. *juris eccl. l. 1. c. 32. n. 104. Garc. p. 5. c. 7. n. 43.* & Pignat. paulò post citandus) non transire ad Capitulum; sed reservari Episcopo successori, consentit Pignat. *tom. 5. consult. 24. n. 2.* & est communis omnium. Et sic manifestum est, quòd ubi electa est industria personæ Episcopi, potestas ei delegata non transeat ad Capitulum. Lotter. *l. 2. q. 2. n. 3.* Utriq; verò parti hujus distinctionis adhærere videtur Azor. *Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 39. q. 4.* ubi: in his, quæ conveniunt Episcopo jure delegato minime succedit Capitulum; quia non succedit nisi in jurisdictione, quæ Episcopo competit jure ordinario, ut est communis opinio. Nihilominus tamen potest Capitulum auctoritatem aliquam habere in jurisdictione Episcopo generaliter auctoritate Apostolica delegata, ubi necessarium videtur, negotium à Capitulo expediri, ita ut moram non pariat. Pro quo postremo nimirum quòd Capitulum sede vacante succedat in jurisdictione generaliter delegata Episcopo à jure vel auctoritate Apostolica, si necessarium videbitur id expediri per Capitulum; citat Garc. *p. 5. c. 7. n. 46.* Pavin. *p. 1. q. 7. m. 9. & q. 10. n. 4.* Genuenf. *loc. cit. n. 30.* Cuch. *loc. cit. n. 8.*

2. Secundo tradit Fagn. *in c. his qua. de major. & obed. n. 54.* non transire in Capitulum jurisdictionem competentem Episcopo non jure suo ordinario; sed delegato, etsi competat ei ex generali delegatione Sedis Apostolicæ; citat pro hoc Jo. And. *in c. ad abolendam. de hæretic. super ult. gl. Federic. de Senis consult. 30.* atque; quòd, licet huic opinioni contradicant multi, eam tamen defendit & tanquam verioris ostendit à Card. *in Clem. 1. q. 8. de hæret. Abb. in c. cum olim. de major. & obed. n. 22.* & communem tenendamque dici à Franco *in c. unico. de major. & obed. in 6. num. 6.* Unde jam infert Fagn. *loc. cit. n. 55.* potestatem à Tridentino tributam Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis non transire in Capitulum sede vacante. Secus tamen esse, seu transire ad Capitulum potestatem, & jurisdictionem, ait n. 56. si Episcopis competat utroque jure, scilicet Ordinario & delegato; veluti si Concilium det illis facultatem procedendi etiam auctoritate Apostolica. Quippe valde diversa sunt, coaccedi illis simpliciter potestatem procedendi auctoritate Apostolica, & concedi illis facultatem etiam procedendi auctoritate Apostolica; particula enim illa *etiam* est implicativa jurisdictionis ordinariæ, ut Fagn. citans seipsum *in c. ad audientiam il primo. n. 46. de eccl. adif.* Huic Fagnani doctrinæ inhæret Pirh. *loc. cit. n. 48.* ubi, quòd non succedat Capitulum in jurisdictione delegata, etsi delegatio facta à jure communi, vel Concilio generali; ut per viam juris absolute etiam, & in perpetuum commissum quid Episcopis expediendum auctoritate Apostolica, v. g. visitent moniales exemptas, aliudve quid circa Religiosos exemptos exercent tanquam Sedis Apostolicæ delegati; eò quòd tunc illa potestas non sit ordinaria, sed delegata; quia eo ipso, quòd Episcopi procedere debeant auctoritate Apostolica (intelligè solà) non agant ex proprio seu ordinario officio suo episcopali. Secus si ab utroque jure & Ordinario & Delegato illis competat, &c.

3. Tertio non multum diffimile quid à doctrina Fagnani tradit Garcias *loc. cit. n. 44.* Capitulum in jurisdictione delegata non succedere Episcopo, etiam si delegatio fiat à Canone; eò quòd

licet tunc competat à jure communi, tamen sic ex potestate specialiter inducta, & non competente Episcopo; pro quo citat Abbat. Felin. Jo. And. Sanch. *ubi supra num. 10.* Unde *num. 45.* infert Garcias, Capitulum sede vacante non posse visitare monasteria monialium exempta, quæ visitat Episcopus auctoritate Apostolica juxta *Clem. 2. de statu Monach.* de quo nos infra. Infert quoque *num. 47.* Capitulum non succedere in casibus, in quibus à Concilio Tridentino datur Episcopo facultas procedendi ut Sedis Apostolicæ delegato. Secus tamen esse ait *num. 48.* sive succedere Capitulum, dum datur à jure, vel Concilio Episcopo jurisdictione in aliquibus casibus, quam alias non habebat prorogando, & extendendo ad illos jurisdictionem illius, & potestatem ordinariam, ita ut Episcopus jam procedat etiam in illis casibus jure proprio, & tanquam Ordinarius. Quod longè diversum quid esse ait ab illo, quòd datur à jure Episcopo jurisdictione delegata, ut procedat auctoritate Apostolica tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus. Idem est (ut Garc. *num. 49.*) dum solùm tollitur à jure vel Sede Apostolica obstaculum exemptionis; eò quòd tunc redeatur ad jus commune, & ordinaria potestas Episcopi relinquatur sibi quasi libera à vinculo, quo per exemptionem illam erat veluti suspensa. Illud denique notat Garc. *num. 50.* quòd, quando verba: *auctoritate Apostolica:* conjunguntur cum verbis: *concedimus facultatem:* non faciunt jurisdictionem delegatam, sed bene, quando conjunguntur potestati faciendi; pro quo citat Pavin; *ubi ante. q. 10. num. 3.*

Questio 462. An Capitulum succedat in iis, quæ concessa Episcopo ratione dignitatis, & præminentie episcopalis, & quæ aliis, quæ Episcopi non sunt, etsi alias jurisdictionem quasi episcopalem habeant, non conceduntur?

Respond. negativè. Ventrigl. *loc. cit. num. 13.* Layman. *ad c. scriptum. de elect. n. 3.* ubi generaliter ait: Capitulum vacante sede non succedit in iis, quæ Prælati speciali jure competunt ratione Dignitatis, ut docent AA. *in c. verum. de foro competente. Abb. in c. scriptum. n. 13.* Butrio *n. 25.* Et specialiter de Episcopo; quòd quæ ei ratione dignitatis suæ speciali jure data, vel commissa sunt, non transeant ad Capitulum; habet Layman. *ad c. quoniam. de off. iud. Delegat. n. 1.* Eadem habet Pirh. *loc. cit. n. 49.*

Questio 463. Num succedat Capitulum Episcopo quò ad facultatem interveniendi alicui actui de consuetudine, vel etiam præbendi de necessitate consilii?

1. **R**espond. ad primum: satis dictum supra, ubi, num transeant in Capitulum, quæ de consuetudine competunt Episcopo;

2. Respond. ad secundum: Dum consilium Episcopi requirebatur in aliquo actu (intelligè sive ex consuetudine, sive alio jure singulari) non succedit Capitulum sede vacante in eo dando. Sbroz. *de Vicar. l. 2. q. 161. num. 6.* citans *c. unico. de sede vac. in 6.* Abb. *in c. cum olim. de major. & obedient. colunt. penult.*